communem Christi servatoris παρρησίαν, ἀντὶ τῆς παρρησίας, in meliorem partem interpretetur, neque eorum respectu suum a me alienum animum faciat. Nunquam usquam vixi ubi sanctius hospitium quam isthic habui neque etiam ubi fideliores amicos hominesque amabiliores inveni. D. Doctor et hospitio benigni et suavi parentis loco mihi in meis miseriis consulens fuit. Non sit autem mihi lux matutina, si non et praesentem solicite reverita sum et absentem grati animi pietate complector. D. Herbertum van Langen ex omnibus quos Bremae vidi sustinet amavi plurimum, tum quia eum videbam D. Doctori amore multo devinctissimum esse, tum quia in meis angustiis subinde expertus eram singularem quandam (in illo tuae nutricis senectutis et meae imbecillitatis sublevatore) pietatem divinitus impressam esse. D. Consul Daniel a Buren saepe me et consilio suo juvit, liberalitate refocillavit. Dispereamque si non ego eum ipsiusque familiam et commendavi saepe Domino et ex animo dilexi. Te vero mi Petre (at hominem Dei fidelem et probatum in ista aetate tam festiviter pium, tum placido spiritu tam exporrecta fronte, tum candidis moribus) fato quodam isthuc venisse arbitror, ut et te in eorum numerum referrem, quibus nunc a me destractis post pusillum temporis iterum me coniungar, ubi se liberator noster rursum mundo ostenderit. Amen. Vale frater dilecte et gaude in Domino, quia ipse est Deus tuus et salvabit te dextera eius. Duisburgi 29. Junij 1560. Johannes Molan.

Michaëli Van-hagen Antwerpiae

Pax Christi

Nuper suavissime Michaël quum isthuc literas

206.1

[= Mscr. a. 7: Nr. 66]

darem adeò distentus fui ut nullam tibi operã
dare possem, neque nunc ita vacuus sum, ut non in
mediis negotiorum turbis quasi suffurandum quod
homini nostro amantissimo vel obiter impen-
dam. Ex illis nostris jucundissimis congressibus
etiam nunc sinceram quandam capio voluptatem,
recte dictum est. Cum alias tum maximè in
rebus asperis dulce est amici benevoli, hominis
oculos intueri. Te certè mi frater ut scio ante-
hac mei præter cæteros studiosum fuisse, ita nunc
quoque gaudeo tuo in me amori nihil decessisse
tam longo temporis intervallo. Nam quod
ad me attinet, nisi mihi excidam ipse non debeo
in eo diligendo remissior esse, quem mihi et pa-
etatis societas, et domesticus usus conjunxit, qua
olim fui quasi animis conjunctissimis simul o-
culos manusque ad communem salutis nostræ prin-
cipem tolleremus, cujus sanè convictus illius nostri
recordatio (quamvis ille plurimas habuit et par
fuit ærumnas) mihi fuit hactenus dulcis et dum
vivam jucundissima erit. Durissima simul ibi
perpessi sumus, et tamen in illis nostris quo-
tidianis ad invocationem congressibus plerum-
que sic fui exhilaratus ut facilè me caperet oblivio
quotidianarum miseriarum. Sed quò magis in
amore tui persisto, hoc minus securus sum dum co-
gito sæpè, quantis periculorum undis circumflu-
at isthic patriæ moribus accommodata vita ve-
stra. Hinc ludi, fastus, luxus, lascivia lactant.
Hinc enses laqueique et dira incendia terrent. Illinc
impia magnorum simulatio tentat; illinc sacrilegi
maculans contagia cultus. Parte alia in vitium
vel rerum

vel rerum inscitia ducit, vel mentis levitas, rebus de Ao 1560.
secundis; vel nimis inclinata imitandis iuvenilibus aetas. Praeterea occultos hamos et aranea mille, quae nunquam effugiat cordatque vincula Proteus. Conicior autem (ut sole Epimetheo esse) non mediocri fuisse diligentiq; cum te aliquot horulis mihi fruendum dedisses, quo se autque consilio constitueris in patria commorari, quae meta sit futura tuorum studiorum, quis fructus exhausti laboris? Dicet quis, quid ista tu curas? itane tu Aristarchus evasisti? aliusque non sum ut est apud Comicum, felicitat me quam omnium bonorum iuvenum periculis fruitur cursus, tum eorum maxime, quibus me scholasticae liberis societas non minus arcte devinxit, quam si nos sanguinis necessitudo copulasset. Rescribe de iis rebus ad me aliquid, et me tempori instantibus negotiis imputa quod neque prolixiores neque crebriores a me recipis epistolas. Vale. Date Calend. Julii 1560.

Danieli à Büren filio Cons. Clariss. 207.
[= Mscr. a. 4 : Nr. 67]

Pax Christi.

Laudatissime adolescens, inter eos qui Bremae me in tuum amarunt, semper merito te imprimis magni feci, quum propter singularem Patris tui erga me benevolentiam: tum propter ingenii tui liberalissimum candorem. Itaque quamvis obrutus negotiorum undis, homo non admodum idoneus ad agendum: non potui tamen me ipse negotiis absolvere, nisi qualemcunque vel memoris animi significationem darem. Et quia deerat, quod ad te prolixe scriberem, persuasi mihimet ipsi, ne ingratē me facturum, si non illud quidem eruditione